MISSALE ZAGRABIENSE

Diözese Agram, 3. Viertel 15. Jh.

Seite 236v

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8457
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

nulorumque cervorum. En ipse stat post parietem nostrum respiciens per fenestram: prospiciens per cancellos. En dilectus meus loquitur mihi. Surge propera amica mea. columba mea formosa mea et veni: iam enim hiems transiit, imber abiit et recessit. flores apparuerunt in terra nostra. Tempus putationis advenit: vox turturis audita est in terra nostra. ficus protulit grossos suos. Vinee florentes dederunt odorem suum. Surge propera amica mea. speciosa mea. et veni columba mea in foraminibus petre: in caverna macerie. Ostende mihi faciem tuam: sonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis, et facies tua decora. gr. Benedicta et venerabilis es virgo maria que sine tactu pudoris inventa es mater salvatoris. V. Virgo dei genitrix quem totus non capit orbis in tua se clausit viscera factus homo. Alleluia: En marie benignitas per secula commendatur dum visitans elisabeth ut subdita. Veni precelsa. sequentia. parabatur.

Veni precelsa domina maria tu nos visita egras mentes illumina per sacre vite munia. Veni salvatrix seculi sordes aufer piaculi in visitando populum penas tollas peccaminum. Veni regina gentium dele flammas reatuum rege quod est devium da vitam innocentium. Veni ut anum visites maria vires roboris virtute sacri impetus ne fluctuetur animus. Veni stella lux marium infunde pacis radium exultet cor in gaudium iohannis ante dominum. Veni virga regalium reduc fluctus errantium ad unitatem fidei in qua salvantur celici. Veni deposce spiritus sancti dona propensius ut dirigamur rectius in huius vite actibus. Veni laudemus filium laudemus sanctum spiritum laudemus patrem unicum qui nobis dat auxilium. lucam.

Exurgens maria in diebus illis abiit in montana cum festinatione